

diata sua virtute per arcanos raptus sive En-
 thusiasmos regenerare & salvare homines : ab-
 usi ad delirium hoc suum confirmandum auto-
 ritate scripturae, quae Christianos Θεοδιδάκτους
 à DEO doctos nominat. Ioh. 6, 54.

97. Quasi verò de immediatâ & Enthusiasticâ
 illâ docendi viâ sermo esset Servatori : non verò
 de mediatâ illâ, quâ per verbum suum homines
 DEVS edocet,

98. Prius illud nullo scripturarum testimonio
 confirmari potest : posterius hoc disertè comprobat
 ipse Servator statim subijciens, Quisquis ergo au-
 divit, & didicit, venit ad me. Et D. Paulus Thes-
 salonicenses suos Θεοδιδάκτους nominans, sta-
 tim modum ipsum aperit, cum in precedētibus in-
 quit : Evangelium nostrum fuit erga vos,
 non per sermonem solum, verùm etiam
 per virtutem & Spiritum sanctum 1. Thess.
 1. 5. & cap. 4. 9.

99. Sic D. Iohannes Christianos, ad quos scri-
 bit, unctiōe sive Spiritu sancto doctos esse asse-
 rit : quos tamen Apostolorum ministerio ad fidem
 conversos fuisse, palam constat. 1. Ioh. 2, 27.

110. Quemadmodum igitur Minister verbi,
 DEO non dante incrementum, neque plantan-
 do neque rigando, quicquam proficit, 1. Cor. 5.
 7. Ita DEVS ipse, sine Ministerio verbi & Sa-
 cramentorum, fidem & salutem in hominibus
 (ordi-